



Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.
XII**

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Conuerso, qui dixit pectus suum quasi lapide maximo premi, cùm
moreretur, cap. 51.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

758 DE POEN. ET GLOR. MOR.
His etiam qui libenter orant, referam exemplum sa-
tis incentium.

CAPUT L.

Ciuis quidam Coloniensis habebat illam con-
suetudinem, ut quotiens solus esset, semper ora-
ret; eundo ad ecclesiam, siue redeundo, vel in
curia sua deambulando, angelicam maximè ruma-
bat salutationem. Qui cum mortuus esset, cuidam ne-
pti suæ in habitu splendido apparebat, in quo, maximè
tamen in caligis & in calceis, scriptus erat per totū
versiculos: Ave Maria, gratia plena, &c. quia, ut dixi,
eundem versiculum deambulando frequentauerat,
cruribus eius & pedibus crebrius inscriptus appare-
bat. Ex his quæ dicta sunt colligitur, quod sicut Deus
secundum qualitatem & modum punit peccatum, ita
remunerat & meritum, maximè in illis membris osté-
dens signum gloriae, per quæ illa meretur. APOLLONIUS:
*Vnde est quod humana natura tantum abhor-
ret mortem, cum tanta sit ei à Deo gloria præparata?*
Luce 22. CAESARIUS: Ipse Rex gloriae Iesus Christus Deus &
homo, in tantum secundum sensualitatem mortem
abhorruit, ut timore illius sanguinem sudaret. Anima
naturaliter appetit esse in corpore, nec potest ab illo
separari, sine magna acerbitate.

CAPUT LI.

Ante hoc quadriennium, cum Prior quidam
de ordine regularium in quadam corte mo-
nasterij sui hospites collegisset, & iam mensa
esset præparata, ipse tanto sopore cœpit affici, ut nisi
oculis dormiret, moreretur. Qui cum in lecto se recli-
nasset, mox quidam eius Conuersus, qui alteri gran-
giae præcerat, dormitanti adfuit, dicens: Domine cum
licentia vestra vado: Et ille, Quò vadis, Respondit Cō-
uersus, Ad Deum vado, quia mortuus sum in hac ho-
ra. Et Prior: Cum multi perfecti viri transeant per
purgatorium, quid est, quod tu tam absolute dicis
te statim esse iturum ad Deum? Ad quod ille respo-
dit: Habebam consuetudinem, ut quotiens transi-
rem coram crucifixo, hanc dicerem orationem: Do-
mine

mine per illam amaritudinem, quam sustinuisti propter me in cruce, maximè quando anima tua egressa est de corpore tuo, miserere anime meæ in egressu suo: & exaudiuit orationem meam Dominus, meiq; misertus est. Et dixit Prior: Quomodo fuit tibi mortienti? Respondit: Videbatur mihi in agonia, quod totus mundus esset lapis unus, & premeret pectus meum. APOLLONIVS: Verba huius Conuersi illis concordant, qui dicunt nullam poenam in hoc mundo a mariorem separationem corporis & animæ. CÆSARIUS: Sicuti alibi dixi, de incertis non audeo judicare: scio enim quod viri perfecti propter vitam futuram quandoque valde ardenter desiderant mortem.

CAPVT LII.

Tres juuenes de ciuitate Bonniensi conuersio[n]is gratia ad nouum castru[m], domum ordinis nostri venientes, omnes ibidem recepti sunt: ex quibus unus, Theodericus, alter Guntherus, tertius vocabatur Sigerus. Primo mortuo, Guntherus reminiscens suæ peregrinationis & supernæ beatitudinis, ad quā suum comitem iam vocatum crediderat, quotidie ad illius tumulum fleuit. Quem die quadam vox de sepulchro his verbis allocuta est: Consolare frater, consolare, quia citius venies ad me. Cuius vultum cum Abbas tristem cerneret, & tristitia causam ab eo requireret, & ille dicere renueret, vix ab eo, quæ dicta sunt, extorquere potuit. Paucis diebus elapsis, precibus, ut puto, Theoderici adjutus, & ipse vocatus est, illi coniunctus in cœlo, cui post multas lachrymas, ut dictum est, associari desiderauit in mundo. Hæc à Sigero Bonæ recitata sunt. APOLLONIVS: Puto quod merces justorum multa sit in cœlo. CÆSARIUS: Hoc tibi ostendam in sequenti capitulo.

CAPVT LIII.

Conuersus quidam ordinis nigri ante paucos annos defunctus est; die quadam, duobus monachis coenobijs sui in cœlae sedētibus, ille ostio latenter aperro ingressus est ad eos. Quo viso, cum terneretur, scientes eū mortuum, ait ille: Cognoscit[ur] ne

Aaa 2

ne